

huius coenobii Patronus, ac insuper beatissimus Patriarcha Benedictus, totius huius sacrae religionis parens et legifer et custos.

Quorum omnium numismata una cum hoc documento in lapide deposita reclusa maneat, donec in Die Domini omnia in melius transformentur fiatque terra nova novumque coelum.

In quorum fidem infrascripti nomina sua apposuerunt.

N. N.

IV.

Decretum congregationis de Propaganda fide quo PP. Benedictinis Abbatiae S. Joannis B. loci Collegeville Stat. foed. Americae certae quaedam missiones in perpetuum addieuntur. Datum 23. Junii 1893.

Cum Patres Benedictini ex Abbatia S. Joannis loci Collegeville in Dioecesi S. Clodoaldi Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, plurimis exantlatis apostolicis laboribus ad fidei propagationem per eas circumregiones longa annorum serie incubuerint, pluresque Missiones felici exitu constabiliverint, visum est huic S. Congregationi Christiano Nomini Propagando, ad eorum instantiam atque accedente consensu R. P. D. Othonis Zardetti Episcopi S. Clodoaldi una cum consilio Consultorum ejusdem Dioecesis, memoratae Abbatiae PP. Benedictinorum in perpetuum addicere, ad curam spiritualem fidelium gerendam, Missiones sequentes respective dictas: St. Martin, Albany, Cold Spring, Farming, Freeport, New Munich, Meiers Grove, Richmond, St. Joseph, et Immaculatae Conceptionis in urbe S. Clodoaldi, salvis tamen in omnibus Pontificiis Constitutionibus, ac nominatim ea quae incipit »Firmandis«, Benedicti XIV, et ea cujus initium »Romanos Pontifices« a Leone XIII gloriose regnante edita. Reliquae vero Missiones, quas in praedicta Dioecesi PP. Benedictini memorati hactenus fundaverint atque administraverint, in libera Episcopi potestate et dispositione maneat. Id autem cum eidem SSmo D. N. Leoni Pp. XIII relatum fuisset ab infrascripto Archiepiscopo Larrissen, ejusdem S. Congregationis Secretario in Audientia 18 vertentis mensis Junii, Sanctitas Sua benigne approbavit, ac praesens de re Decretum edi jussit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 23 Junii 1893.

M. Card. Ledochowski, Praef.

F. Aug. Archiep. Larrissen, Secrius.